

POGGII FLORENTINI ORATORIS CLARISSIMI
ac secretarii apostolici in Historiam convivalem disceptivam de Avaricia

PRAEFATIO

Quoniam plures mortales, mi Francisce, non vivunt, sed agunt vitam – hoc enim omnium est, illud perpaucorum – fortunati illi esse videntur, quibus dono immortalis Dei contigit, ut possint dicere se vixisse.

Id ego nonnullis nostrae aetatis viris accidisse puto, qui rebus a se editis magnam laudem consecuti sunt et nomen multis saeculis duraturum.

Nam et varia scriptorum genera e graecis latina reddiderunt nobis, et ipsi sua quaedam conscripserunt summa cum doctrina atque eloquentia, quibus latinae Musae plurimum decoris susceperunt atque ornamenta.

Quoniam quidem rem haud perdifficilem illis fuisse arbitror, et graeca facundia eruditus, et omni doctrinarum genere praestantibus.

At vero mihi durior quaedam scribendi ratio videtur esse proposita, qui neque e graeca lingua ad usum nostrum traducere possum, neque hae sunt meae facultates, ex quibus aliquid adhuc in publicum ausim promere.

Verum cum audaces quandoque fortuna adiuvet, temptandum quoque mihi visum est an ego quicquam possem afferre in communem utilitatem; quo, etsi non vixisse ut illi, at saltem non inaniter vixisse dicerer.

Itaque sumpsit onus – nescio an gratum multis, mihi certe iucundum, et ut existimo ceteris non inutile – ut referrem sermonem habitum contra avaritiam ab his, quos scio haud inferiores illis qui habentur viri huius saeculi doctissimi, si modo assequi potuero, ut ea perinde atque ab illis disputata sunt, a me litteris mandentur.

Atqui hoc eo audentius aggressus sum, quo pauciores ex eis fuere, qui vacarent ad correctionem vitiorum.

Quae cum sint diversa, quae vitam nostram conturbant, id potissime in hanc disceptationem est collatum, ex quo scelera omnia et maleficia, ut ait Cicero,¹ gignuntur.

Quodsi cui forte aut planum nimis atque humile videbitur dicendi genus, aut non satis explicata ratio muneris suscepti, is intellegat primum me delectari ea eloquentia, in qua non maior existat intellegendi quam legendi labor.

Deinde advertat non quantum de eiusmodi re disseri, sed quid ingeniolium meum scribendo consequi potuerit.

Satis enim mihi visum est proponere in medium copiolas, quaecumque hae sint, meas, ex quibus vel queant sumere – si qui forsitan dignas existimatione aliqua arbitrarentur – vel absolvere aliquid perfectius, qui voluerint emendandi atque ampliora dicendi curam suscipere. Tibi autem, mi Francisce, viro et amicissimo mihi, et ingenio excellentissimo, cuius labore et industria nostrae linguae magnum incrementum sumpsere, hoc opusculum tamquam studiorum meorum primitias dicavi, subiciens illud eximiae censurae tuae.

Quodsi probaris, ede illud, quia fultum tua auctoritate, et ab aliis quoque comprobatum iri confido.

Sin vero minus, proicito in ignem, veluti rem in cuius iactura parum detrimenti sit futurum, cum satius sit comprimi errata amicorum, quam efferri.

Sed ut sententiam rite ferre possis, audias iam quid hi loquantur, inter quos est sermo institutus.

Sunt enim quibuscum mihi summa, dum hic aderas, et periucunda fuit vitae consuetudo; quos cum audieris colloquentes, etsi non scribentes, ac saltem disputantium gratia existimo te non aspernaturum hoc munusculum, quod suscipias oro in tutelam tuam, non tamquam horridus iudex et severus arbiter, sed tamquam disertus atque elegans patronus, qui censeas et agendam tibi illius causam, et errata etiam defendenda.

¹ *Pro Roscio Armerino*, 75.

Quoniam plures mortales, mi Francisce, non vivunt, sed agunt vitam,
hoc enim omnium est, illud perpaucorum,
fortunati illi esse videntur
quibus dono immortalis Dei contigit
ut possint dicere
se vixisse.
